

6 (3)  
1721, 21  
306

DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA.  
AN  
**PROMISSOR  
FACTI LIBERE-  
TUR PRÆSTANDO ID,  
QVOD INTEREST?**

QUAM

Ex DECRETO ILLUSTRIS FACULTATIS JURIDICÆ  
P R A E S I D E

DN. CHRISTIANO THOMASIO, ICto  
S. REG. MAJ. BORUSS. CONSILARIO INTIMO, ACADEMIÆ  
FRIDERICIANÆ DIRECTORE, PROFESSORE JURIS, PRI-  
MARIO ET FACULTATIS JURIDICÆ P R A E S I D E  
ORDINARIO ET h. t. DECANO,  
PATRONO MAXIME COLENDO

PRO LICENTIA

SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES ET PRIVILEGIA  
DOCTORALIA RITE CAPESSENDI

DIE 19. APRILIS A.O.R. MDCCXXI. HORIS ANTE ET POMERIDIANIS.  
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

M. CHRISTIANUS SCHUBERT,  
VRAT. SIL:

---

HALÆ MAGDEBURGICÆ.  
LITERIS JOH. CHRIST. HILLIGERI, ACAD. TYP.

1  
P  
R  
O  
M  
I  
C  
H  
E  
R  
E  
A  
T  
U  
R  
S  
A  
T  
H  
O  
D  
I  
D  
T  
O  
D  
M  
I  
C  
H  
E  
R  
E

E  
N  
T  
H  
I  
G  
N  
A  
M  
O  
R  
I  
C  
H  
E  
R  
E  
A  
T  
U  
R  
S  
A  
T  
H  
O  
D  
I  
D  
T  
O  
D  
M  
I  
C  
H  
E  
R  
E

E  
N  
T  
H  
I  
G  
N  
A  
M  
O  
R  
I  
C  
H  
E  
R  
E  
A  
T  
U  
R  
S  
A  
T  
H  
O  
D  
I  
D  
T  
O  
D  
M  
I  
C  
H  
E  
R  
E

E  
N  
T  
H  
I  
G  
N  
A  
M  
O  
R  
I  
C  
H  
E  
R  
E  
A  
T  
U  
R  
S  
A  
T  
H  
O  
D  
I  
D  
T  
O  
D  
M  
I  
C  
H  
E  
R  
E



DISSERTATIO JURIDICA  
DE QUÆSTIONE:  
AN PROMITTENS FACTUM  
LIBERETUR PRÆSTANDO ID  
QUOD INTEREST?

§. I.



Omninis Doctorum sententia dif-  
ferentiam facit inter promissa dan- *Scopus dis-*  
di & faciendi, ut ille, qui aliquid  
se daturum esse promisit, cogatur  
præstare rem promissam, is vero,  
qui factum promisit, cogi non pos-  
sit vel non debeat, sed liberetur  
præstando id quod interest. Quæ sententia et si defen-  
datur à Jctis celeberrimis, licet tamen nobis tentare,  
annon probare possimus, sententiam ei oppositam esse  
convenientiorem & rectæ rationi, & juri Romano, &  
Praxi hodiernæ.

§. II.

Ut vero status controversiæ recte intelligatur, *De promis-*  
pauca quadam prænotanda sunt. Primo dum de pro-*s agitur*  
missis loquimur, præsupponimus promissa quævis, qua<sup>non de ulti-</sup>  
*mis volun-*  
*tatibus.*

vel jure natura vel secundum dispositiones legum ci-  
vium obligationem & actionem producunt, non vero hic  
attendimus dispositiones testamentarias de dando vel fa-  
ciendo , nisi quatenus ea , quæ in legibus Romanis hic  
convenientia cum promissis ut plurimum continentur,  
et si non probationis gratia , illustrationis tamen loco,  
quandoque afferri poterunt.

## §. III.

*Factum quid hic de-*  
*noter?* Deinde quamvis dare etiam sub facti nomine in  
latissima significatione comprehendatur, hoc loco tamen  
dare in specie factum denotat, quo dominii rei cuiuscun-  
que corporalis, sive mobilis, sive immobilis translatio in-  
tenditur. Factum itaque dationi oppositum complectitur  
facta reliqua omnia , in tantum , ut etiam non facta sub  
eo comprehendantur, sive cum aliquid non fieri debere  
promissum est.

## §. IV.

*Quid libe-*  
*rari pre-*  
*stantio in-*  
*teresse? Ple-*  
*nior forma-*  
*tis status*  
*controversia,* Tertio nullum quidem est dubium , quin ille , qui  
factum promisit, liberetur praestando interesse , si is , cui  
factum fuit promissum , non egerit ad facti adimpletio-  
nem , sed ad interesse praestandum. Sed de hoc non est  
questio. Verum illud queritur; Utrum praestatio inter-  
esse loco facti promissit sit inventa in favorem actoris ,  
ut in hujus arbitrio sit, an ad impletionem facti promis-  
si agere velit , an promissorem convenire , ut , si  
promissum servare noluerit, ipsi interesse praestet, & loco  
facti det aliquid in compensationem lucri cessantis , &  
damni emergentis; Utrum vero praestatio facti sit in arbi-  
trio promittentis, ita , ut non possit cogi ad factum pra-  
estandum, sed , etiam si actor præstationem facti ab ipso  
postulaverit , etiam si judex per sententiam eum com-  
demna-

demnaverit, ut factum præstet, tamen ad factum præstandum cogi nequeat, sed liberetur præstanto interesse?

## §. V.

Posterioris affirmat communis Doctorum Schola, *Autores eorumque non solum vulgarium sed & virorum undi-  
precipi  
que celeberrimorum. Paucissimos saltē allegare li-  
pro utrāque  
ceat, puta Wissenbachium ad Pand. Disputat. 26. the-  
si 8. Struvium Exercit. 47. ad Pand. §. 22. Eckoltum ad  
Pand. tit. de Verb. Obl. §. 9. Stryckium in Uſa Moderno ad  
tit. de paclis. §. 10. Hoppium ad Institut. de Verb. obl. §. ult.  
p. 666. Georgium Beyerum in Position. ad Pand. tit. de  
Oblig. & Act. Ec. Plures ex antiquioribus citat Wissen-  
bachius dicto loco. Prius post paucos alios, puta Cuja-  
cium, Corasium, Perezium à se citatos defendit Huberus  
in Prelect. ad Institut. de Verb. Obl. Sech. 5. p. 274. seq. quem  
postea secutus etiam est Dn. Praeses in Differt. de arrbis  
emtionum anno 1702, habita §. 20. Et in notis ad Institut. tit.  
de V. O. p. 219. Et ad Pand. tit. de paclis p. 63. seq. et si in  
Scholiis ad Huberi positiones tit. Institut. de V. O. adhuc  
communem sententiam secutus fuerit. Atqui hæc Hu-  
beri sententia videtur initio perspicuè ex ipsa natura pro-  
missorum, item actionis ad interesse, secundum principia  
juris naturæ brevissimis ita demonstrari posse.*

## §. VI.

Moribus omnium gentium ex ipso dictamine re- *Negativa*  
cta rationis receptum est, pacta & promissa esse servan- *probatur ex*  
da, & adeo judicis officium esse, ut nolentem satisfacere *natura pro-*  
obligationi sua, remediis legitimis ad satisfactionem adi- *misorum*  
gat. Nulla hic occurrit distinctio, inter obligationes *quorumvis.*  
dandi & faciendi. Cur enim magis liceat fidem fallere,  
si facere aliquid promiserim, quam si promiserim dare?  
Unde alii Jcti semel admisso hoc absurdo, omni æquitati

repugnante, ut in arbitrio decipientis sit, utrum fidem datam circa factum adimplere, an alteri interesse praſtare velit, in aliud prolapſi ſunt, non ſolum aſſerentes, ſed & prolixè defendantes, nec venditorem praecisè teneri ad tradendam rem, ſed liberari praſtando intereffe, quia venditor obligetur ad tradendum, traditionem vero factum eſſe.

## §. VII.

*Et ex potestate Judicis cogendi refractarios, partim eadem cum executione promiforum dandi.* Porro nec in obligationibus faciendi defunti judici remedia legitima, refractarios ad satisfactionem adigendi, etſi quandoque diſſentia à remedii cogendi eos, qui dare nolunt, quod promiferunt. Dico quandoque: Nam etiam in factis nonnunquam eadem remedia iudici competent, qua in dationibus promiſis. Vendidiſli equum, ades, &c. Non viſ tradere ſponte. Judex per ministros ſuos equum tibi aufert, ex adibus te tuaque mobilia exmittit, & emtorem immittit. Eodem modo exequendi iudex uti poterit in quibusdam facti promiſionibus, v. g. Uſum adiūm vel pecudum alicui concedere, non datio eſt, ſed factum dationi oppoſitum. Lo- eaſti iigitur uſum pecudum, vel adiūm, aut fundi conductori, non autem viſ tradere; eodem modo tradet ci- tra voluntatem tuam iudex, uti dixi tradere poſſe reſ venditas.

## §. IX.

*Partim multa pecuniaria & carcere.* Interim non eſt diſſitendum, hoc remedio non poſſe uti iudices in omnibus promiſionibus factorum. Quidſi enim v. g. promiſerim ire, loqui, adiūcere, pin- gere? &c. Hic nulla per ministros ſuos ablatione aut exmiſſione uti poterit iudex. Ita eſt. Non diſſiteor. Quid ergo faciet, inquis, ut cogat factum praſtare no- len- tes, & pertinaciter quidem no- len- tes? Miror te talia qua-

quærere. An oblitus es versiculi: *Munera crede mihi placant hominesque Deosque.* Sed regeris, versiculum hunc de cœpis loqui, nos de allio. Expecta paulisper. Pecunia & res pecuniâ estimabiles, ut flectunt aliorum hominum animos, ut idem nobiscum velint, ita multa pecuniaria capax est, flectere hominum etiam pertinacissimorum renitentiam, ut faciant, quæ judex fieri præcipit. Sed refractarius non habet pecuniam aut res pecuniâ estimabiles: Iro pauperior est: Quomodo hic cogi poterit, ut factum impleat? Pudet me tui nomine, quod tam levia dubia proponas, quæ etiam adolescens minime eruditus, imo judex rusticus sine hæfitatione solvere possit. Carcere coget. An nescis carcer esse malam mansionem eum in finem inventam, ut pertinaces pauperes & his similes pertinaciam suam deponant?

## §. IX.

Sed cur tamen, inquieris, actio ad interesse inven- Item ex ori-  
ta est, cur ejus in legibus toties fit mentio? Certe gine & cau-  
valde iniquus esset in Jureconsultos aut Consiliarios. <sup>sa actionis</sup>  
ac Regentes, cuiuscunque etiam Gentis, et si Hotten- <sup>ad interest-</sup>  
tottica, qui sibi persuaderet, eos, si vel mica judicii  
& aequitatis in illis fuisset, eo iniquitatis potuisse  
progredi, ut actionem hanc invenirent in favorem hominum improborum & fraudulentorum, uno verbo in favorem nebulonum. Quin potius age considera saltem paulisper naturam negotiorum humanorum & promissorum valde variantium, & tunc statim apparebit, actionem ad interesse ex dictamine recta rationis inventam esse in favorem defraudatorum & adeo actorum, non rerum decipientium & defraudantium, ne videlicet decipientes locupletentur cum damno deceptorum, aut ne insinu gaudeant, quod cogi commode non possint.

sint. Sed cogita simul in antecessum, causam impulsivam hujus inventi primariam nequaquam esse quarendam in differentiis promissionem de dando & faciendo, sed in aliis circumstantiis.

## §. X.

*Quia obtinet  
si pro-  
mittens  
rem vel fa-  
ctum pro-  
missum am-  
plius pre-  
stare ne-  
queat.*

Nam sape accidit, ut qui factum promisit, & tam  
enam præstare noluit, tempore actionis instituta non am-  
plius sit in eo statu, ut factum præstare possit, & tamen  
per facti denegationem præcedentem violavit fidem, &  
damnum dedit alteri. Ita v. g. Comes Palatinus pro-  
misit, quod alium creare voluerit gratis Notarium: Post-  
ea fidem fecellit, & dum actor eum ad fidem implendam  
convenire vult, privatur a Cæsare Comitivæ.. Jam non  
potest amplius adimplere promissum, et si vellet. Hic  
exequitas omnibus Gentibus communis & ex dictamine  
rectæ rationis orta dictitat, laſo dandam esse actionem  
ad interesse. Et hæc causa inventa actionis ad interesse  
in his & similibus casibus communis est promissis dan-  
di & faciendi. Ita si is, qui equum mihi vendidit, equum,  
non quidem fidem violandi animo, sed ex impetu inter-  
ficiat, et si postea statim eum peniteat, non poterit ta-  
men condemnari, ut promissionem impleat, sed solum  
damnandus erit, ut actori solvat id quod interest.

## §. XI.

*2) Si rei  
promissæ vel mittitur, ex re vel facto promisso sperat, ad certum tem-  
pore facti pre-  
dictio ad  
certum tem-  
pus rescri-  
cta fuerit.*

Porro sape accedit, ut utilitas, quam, is, cui pro-  
missæ vel mittitur, ex re vel facto promisso sperat, ad certum tem-  
pus restricta sit, ita, ut nullam utilitatem inde sensurus  
sit, etiamsi reus post tempus elapsum rem exhibere aut  
factum præstare voluerit. v. g. Promisit mihi quis, se solu-  
turum vel mutuo daturum esse centum proximis nundinis,  
vel se mihi comodaturum esse mobilia pretiosa certo  
& solenni festivitatis tempore, vel denique, se in termino  
certo

certo juridico procuratorio nomine, mei loco, comparaturum esse in judicio, aut causam meam acturum &c. Dum autem fidem violat, cogor nundinarum tempore sub gravioribus asuris alibi mutuum accipere, aut mobilia pretiosa tempore festivitatis datâ mercede alibi locare, aut judex, nomine meo nomine in judicio comparente, me condemnat in impensas. Hic nemo dubitat, actori concedendam actionem ad interesse non in favorem sed odium rei, adeoque nec hoc casu differentiā esse inter promissa dandi & faciendi.

## §. XII.

Dixi ulterius jam supra, promissa factorum promissis dandi opposita comprehendere etiam non facta. At si aliquid non fieri debere promiserim, & tamen contra promissum id fecerim, sensus communis docet, quod ex natura negotii actor non possit instituere actionem ex promisso ad id tendentem, ut promissum adimpleatur, cum factum insectum fieri nequeat. Sed nec hic differentia est, si accurate loqui velis inter promissa dandi & faciendi. Nam eadem est ratio, si quis mihi promiserit, se alteri quid non daturum & tamen dederit. Ergo & hic utrobique favor actoris & odium rei postulant, ut actori concedatur actio ad interesse.

## §. XIII.

In eo tamen inter promissa dandi & faciendi est differentia, quod in promissis dandi actoris parum inter- mittens factum regulariter, sive reus dationem aut traditionem im- pleat lubens an invitus & coactus. Sed intuitu facto- rum hic varii gradus & genera sunt observanda, prout fidelitatem nempe facta promissa vel requirunt solum laborem corporis sine singulari industria, artificio, aut fidelitate ex traordinaria, vel talia ex intentione stipulantis re-

B

qui-

quirunt. Prioris generis exempla possunt esse opera ordinaria & vulgares rusticorum, opificum mercenariorum, nunciorum, & similes. Posterioris generis, pictura ab insigni artifice promissa, educatio liberorum aut informatio, doctrina rariorum & utiliorum scientiarum & artium. Medii generis facta non pauca sunt, sed prope dixerim etiam infinita; ita opifices mercenarii v. g. non recte & non prudenter edificando possunt in causa esse, ut aedes extructae mox ruinam patiantur &c. Etsi igitur etiam illi, qui a promitentibus facta artificialia & fidelia illorum denegatione subsecuta laeti sunt, possint carcere & inulta pecuniaria mediante judice eos ad praestationem factorum adigere, tamen utilius est, intuitu actorum, si interesse ipsis hoc casu praestetur a fidem fallentibus, quam si eos metu poenae compellant ad faciendum, cum haud dubie tum pertinaces facient quidem quod promiserunt, sed superficiarie & negligenter, cum sciant, difficillimum esse probare apertitudinem & capacitatem artificum, & ita se semper possint excusare, quod non melius didicerint, aut quod non melius facere possint.

#### §. XIV.

*Ubi & cum* Igitur & in talibus casibus mores gentium communatio ad interestes indulgent laesis actionem ad interesse, nec dubium est, teresse conceditur in hanc observationem ostendere differentiam aliquam palauorem a. pabilem inter promissa dandi & faciendi, cum haec observatione non favorit, etsi non pertineat ad omnes factorum promissiones, nullum tamen usum habeat in promissionibus dandi. Cave tamen, ne propterea exclames, ad hunc easum certe restringendam esse communem sententiam, quod falso in ejusmodi factis fidem violans non possit cogi ad factum praestandum, sed liberetur praestando id, quod actoris

actoris interest, & quod adeo hic actor cogatur accipere interesse loco præstationis facti, & res ita non ab arbitrio actoris, sed rei dependeat. Nam & hoc pacto nihil obtinebis, cum modo dixerim, & in his casibus in arbitrio quidem actoris esse, utrum adimpletionem promissi an solutionem ejus quod interest ab adversario petere velit, sed tamen prudentius & consultius esse pro aetore, si ad interesse agat, quam ad adimplementum promissi. Manet vero in ejus arbitrio, utrā actione uti velit, neque enim quis regulariter cogitur ad promovendam propriam utilitatem & ad sequenda consilia amicorum. Certe sensui communii repugnat actionis alterutrius institutionem dependere ab arbitrio fidem violantis.

### §. XV.

Alia quæstio (primario ad nos non pertinens sed *cur promissum ob affinitatem obiter tangenda*) est: Utrum actio *sa penalia fuerint in ventia* ad interesse regulariter sit remedium melius & efficacius prospiciens lœsis, quam si conveniat actorem, ad implementum contractus, si videlicet negotii qualitas id permittat, & exclusis adeo casibus §. X. XI. XII. recensitis? Et si enim §. preced. dicta innuant, consultius esse actori in illis casibus, si interesse consequatur, id tamen etiam simul supponendum est, non posse actorem interesse consequi, nisi prius id probaverit. At probatio damni ex denegatione promissi emergentis & lucri cessantis orti ut plurimum est difficillima, unde dictum vulgare: *In actionibus injuriarum lucramur nibil aut parum*, aque ad actiones ad interesse frequenter applicandum erit, nisi loco probationis facilitioribus & evidenterib[us] mediis quis utatur, v. g. usris confuetis ubi de interesse pecuniario lis est. Cum vero h[ab]et ad facta & eorum denegationem ap-

plicari nequeant, inde Doctores multa loquuntur de adjicienda promissionibus, potissimum factorum, alia promissione penali, ut si postea factum promittens obligationi sua sat sfacere nolit, poena loco v. g. centum promittat: Tum enim actor, si centum petat, censemtur interesse sum tantu<sup>m</sup> estimasse, nec opus habebit actione instituta de probatione ulteriori, quod tanti ejus intersit, esse sollicitus.

## §. XVI.

*Novum dubium, an ta-* **Quæ** etsi nullum habeant dubium, nescio tamen *lia promis-* in praxi, imo, si penitus hoc inventum inspicias, nescies, *sa penalia* utrum optandum sit, ut frequentius apparent, cum nova *novationem* inducant, se offerat litigandi occasio, utrum promissio hæc penalis *an non.* inducat novationem nec ne, id est, utrum is, cui factum est promissum possit adhuc ad adimplendum factum agere, an vero censeatur adjecta illa stipulatio penali sustulisse obligationem facti, & loco ejus substituisse penam sive interesse determinatum. **Quæ** quæst o non ita facile & evidenter solvi potest, uti princ ipsi illa, de qua disputamus. Siquidem dissentientes a nobis, & qui docent, regulariter eum quā factum promisit, etiam absque adjecta stipulatio penali liberari praestando interesse, debebant assertum hoc suum multò magis eo extendere, ut (adjecta stipulatio penali) multo minus possit promittens cogi ad factum praestandum, sed actor debeat esse contentus, si summam determinatam ipsi solvat. Sed tamen suo loco videbimus, dissentientium nonnullos in qua<sup>n</sup>tione de stipulatio penali novationem non admittere.

## §. XVII.

*Offenditur posteriorem* **Quod** vero nostram sententiam attinet, videndum erit, quānam fuerit intentio eorum, qui stipulationem *pœna-*

pœnalem adjecerunt. Id forte nullum habet dubium, si *sumentiam* simpliciter ita promissio fuerit facta: Promitto me insu-*esse verior*-lam esse ædificaturum aut centum daturum; vel promis-*rem.* to me centum esse daturum, si insulam non ædificavero; tunc electionem esse penes promittentem, tanquam in pro-misso disjunctivo vel conditionali, quia tum una erat promissio. At vero in nostra quæstione stipulatio pœna-lis promisso aliij præcedenti est adjecta & ejus quasi accep-torium, circa quam adeò quaritur, an censeatur susculpse promissionem præcedentem, an vero ejus firmandæ gra-tia fuerit adjecta. Puto videndum esse ante omnia, quid actum fuerit, id est, qua intentione stipulatio posterior fue-rit adjecta, nam posse pacientes, si velint, utrumque facere, nullum est dubium. Quodsi autem intentio ea aliunde non appareat, videndum erit, quis posteriorcm adjecerit promissionem, utrum promittens, an is, cui pri-or promissio facta. Nam regulariter is, qui in negotio mu-tuo circumstantiam aliquam adjicit, censetur id facere in dubio sua utilitatis gratia. Ergo si promittens curaverit adjici, se centum daturum, si insulam non ædificaverit, præsumetur eo ipso potestatem eligendi sibi reservare vo-luisse, sed hoc pacto stipulatio adjecta non erit pœnalis, quia pœna insertur invito. Ergo cum quæstio proposita loquatur de stipulationibus pœnalibus, quæ infavorem ac-torum inventar, adeoque ab his censentur esse adjectæ ad confirmationem promissi prioris & in pœnam deceptoris adversarii, non in ejus favorem; luce meridiana clarus esse arbitror, in dubio non censiſti stipulationes pœnales esse novandi animo adjectas.

## §. XVIII.

Hactenus dicta sufficere poterunt ad demonstran-*Jure Roma-*  
dam veritatem assertionis nostræ secundum principia ju-*no nihil di-*  
*versum à*

*nossa  
et in a pro-  
poni.*

ris naturæ. Jam viaeamus, an alter ienserint Jureconsulti Romani. Ubi quidem latissimus se campus aperiret, si omnes leges Romanas adducere vellemus, quæ hactenus dicta corroborant, vel cum iis convenient. Cum vero nobis jami non supersit tempus, singulas leges hic pertinentes producere, sufficiat, præmissa obseruatione generali, (quod Jus Justinianeum etiam collectum sit ex principiis juris naturalis & gentium, & quod adeo non tam sollicitus quis esse debeat de monstranda convenientia Juris Romani cum jure Gentium, quam de eo, quod jus Romanum juri Gentium addiderit aut detraxerit,) saltem hoc loco in universum annotare: Jure Romano nusquam asseri, quod secundum communem interpretum opinionem, promittens factum non possit cogi ad ejus præstationem, sed quod in ejus arbitrio sit, actori etiam invito præstare interesse, adeoque nihil hic superesse, quam ut ad argumenta dissentientium respondeamus.

### §. XIX.

*Præstatio-* Antequam tamen id fiat, non injundum erit paucem Pauli ca quædam annotare, ex quibus hactenus dicta aliquo *Jureconsul-* modo illustrari poterunt. Dixi in §. III. quænam sit dif-  
*lī à datione* & factū pa-ferentia inter præmissa dandi & facieadi. Eadem distin-  
*rum differ-* ffio adhibetur in Jure Romano non solum *in toto titulo*  
*re.*

*ff. de prescriptis verbis*, & in recensendis quatuor spe-  
ciebus contractuum innominatorum, do ut facias, facio  
ut des &c. sed & in definitione stipulationis §. I. *Inst. de*  
*V. O.* in verbis: *cum quid dari vel fieri nobis stipulamur*,  
juncto §. ult. eod. & alibi passim. Adeoque non cura-  
mus subtilitatem Pauli, JCti, ut notum, paululum subtilioris, sed & obscurioris, dum l. 3. pr. de V. O. obligatio-  
nem definit, quod sit vinculum juris, quo necessitate  
ad-

adstringimur ad *dandum* aliquid vel *faciendum* vel *praestandum*. Quid enim hic est *præstatio* dationi & facto opposita? Sane *præstatio* de utroque promissionis genero dandi & faciendi dici solet, nam & res *præstatur*, dum traditur, & factum, dum promissum servatur. Imo etiam interesse *præstari* dicitur. Ita ipse Beyerus loquitur *ad inst. de V. O. posit. 25. § 26.* & tamē idem *ad Pand. de O. § A. §. 8. § seq.* sollicitus fuit, ut subtilitatem hanc Pauli obscuram & parum ultilem exponeret, asserendo: *Dare* esse transferre dominium verum vel quasi, quorū sum spectet mutuum, emtio, donatio, permutatio: *Fa-*  
*cere* esse laborem corporis vel animi *præstare*, ut fieri soleat in mandato, tutelā, deposito, negotiorum gestione, locatione operarum; Denique *præstare* esse transferre usum vel possessionem vel quocunque aliud jus excepto dominio, id quod fieri soleat in locatione rei, commodato, pignore. Sed cui usui? Ergo mallem omittere *præstationem* illam Paulinam in definitione obligatio-  
nis, & eam sub facto comprehendere.

## §. XX.

Eidem obscuræ subtilitati Paulina similis est distinctio *Parum ut-*  
factorum à quibusdam Jctis usurpata, quod scilicet *factalis distin-*  
fint vel *nuda* seu *mera*, qua citra operam hominis & mem-  
brorum applicationem perfici non possunt, v. g. *Roman* & *qualifi-*  
*care*, pingere, insulam *adficare*, artibus liberalibus ali-  
quem instruere; alia *non nuda*, seu *pregnaria*, vel *qua-*  
*lificata*, qua simul in rei *præstatione* occupentur, ut sol-  
vere, numerare, reddere, tradere, ut in venditione, do-  
natione &c. addita applicatione, ut sententia commu-  
nis (in promissis facti debitorē liberari *præstando* in-  
teresse) valeat saltem in promisis nudis, non in qualifica-  
tis seu non nudis. *vid. Hoppius d. l. p. 666.* Hic equidem

non

v

non nego terminos hujus distinctionis occurtere in jure v. g. in l. 52. §. 1. de V. O. ubi Ulpianus dicit: si quis va-  
cuam p̄fessionem tradi promiserit, non nudum factum hæc  
stipulatio continebit, sed causam bonorum. Negotiamen,  
quod hæc distinctione magnum usum præstet, cum Ulpia-  
nus in l. 52. §. 1. de V. O. ad quam etiam hic provocat  
Hoppius, doceat: quod verbum facere omnem omnino  
causam complectatur, dandi, solvendi, numerandi, judicandi,  
ambulandi: Nam judicare & ambulare sunt haud du-  
bie facta nuda: Nego, quod per hanc distinctionem pro-  
betur, in factis nudis aliquem liberari præstando intere-  
sse: Acceptra, quod fateatur Hoppius, in factis nonnu-  
dis, & ubi traditio promissa est, debitorem non liberari  
præstando interesse: Noto, quod hæc divisio factorum  
iterum confundat facta cum dationibus, dum factis non-  
nudis immiscet iterum venditionem & donationem. Un-  
de non mirandum, quod alii facta nonnuda pro synony-  
mis dationis habuerint, & facta dationi opposita nuda vo-  
caverint, ut Schoepferus ad tit. Pand. de pactis n. 28. seq.  
Denique concedo, in multis factis nudis difficulter pro-  
mittentes cogi posse ad facta præstanta, & adeo hoc in-  
tuitu concedendam esse actionem ad interesse. Sed jam  
supra §. XIV. ostensum fuit, id nequaquam in favorem  
reorum, sed potius in favorem actorum fieri.

## §. XXI.

*Textus ju-  
nis Romani  
generales de  
fide data  
servanda,  
& quod ali-  
ud pro alio  
solvē non  
possū.*

Quemadmodum porro supra §. VI. sententiam me-  
am probavi ex natura communi omnium promissorum,  
quod sint servanda, ita idem repertunt leges Romanae, nec  
usquam distinguunt inter promissa dandi & faciendo. *Quid*  
*pactis, quam ea, qua inter eos placuerunt servare?* Et alibi l. I. pr. de  
pr. de censit. pec. Prætor faveat naturali & equitati, qui con-  
stitu-

stirata ex consensu facta custodit, quoniam grave est fidem fallere. Et Paulus I. 2. §. 1. de Reb. cred. Aliud pro alio invito creditor i solvi non potest. Scio equidem, non deesse adversariis, qua regerant, sed scio etiam, istas exceptiones esse meras petitiones principii, aut aperte vina textibus inferre, vel aliena immiscere, adeoque responsiones prolixas non mereri. Ita Wissenbachius ad dictum Ulpiani de pactis servandis respondet. *Servari promissa sane consentaneum est, si peccat, qui non servat, ideoque certis modis coeretur, unde tamen absolutam necessitatem perperam inferas.* Nec quicquid est in conventione statim est in obligatione. Sic inter venditorem & cunctorem convenit, ut dominium rei transeat in emtorem I. pen. §. ult. de contr. emt. Venditor tamen non cogitur emtorem facere dominum rei. I. II. §. 2. de act. emt. *Conventio est factis obligatio juris, jus talis producit obligationem, qualis ipsum jus vult.* Obligationis vinculo necessitate adstringimur ad dandum vel faciendum, SECUNDVM NOSTRAE CIVITATIS WRÆ princ. tit. Inst. de oblig. Possent hæc omnia tolerari, si modo probassent dissentientes juribus, civitatis Romanae introductum esse, ut facti debiter libere-ter prestanto interesse. Hoppius repetit distinctionem Wissenbachii inter necessitatem *absolutam* & inter necessitatem *ex natura obligationis*, & de hac intelligit leges a nobis productas. Addit, si promittens factum, etiam invito creditor i praestet interesse, *tum non solvi aliud pro alio, quia vii si potestate juris propter moram interesse succedat in locum facti.* Vides hic iterum, petitionem principii committi.

§. XXII.

In venies etiam in Jure Romano applicationem praecedentis regulæ generalis tam ad promissa dandi, quam <sup>Atque in</sup> <sub>promissis dandi-</sub>

C

ad

ad promissa faciendi. Ait iterum Ulpianus *I. II. §. I.* de  
*et. emt. In primis sciendum est in hoc judicio (emt.) id de-*  
*mum deduci, quod praestari convenit. Cum enim sit bo-*  
*næ fidei judicium, nihil magis bona fidei congruit, quam*  
*id praestari, quod inter contrahentes actum est. Nontamen*  
*diffimulo, melius facturum fuisse Ulpianum, si paulo di-*  
*stinctius mentem suam hic aperuisset; Nam ratio primaria*  
*quidem, (quod pro nobis facit,) non collocatur in eo, quod*  
*hic sit promissio dandi, non faciendi; interim nec ratio*  
*primaria etiam debuisset in eo collocari, quod emtio sit*  
*contractus bona fidei. Quasi in contractibus stricti*  
*juris non sit eadem ratio, & quasi contractus stricti juris sint*  
*bonæ fidei adversi. Unde alibi recte Justinianus dispo-*  
*suit, traditionem rei donata etiam in stipulatione promis-*  
*sam præstandam esse & ad eam compelli debere promis-*  
*tentem, imo etiam citra stipulationem debere rem dona-*  
*tam tradi, addita ratione æquissima. Cum enim in arbi-*  
*tria cuiuscunq[ue] sit hoc facere, quod instituit, oportet*  
*cum vel minime ad hoc profire, vel cum ad hoc venire*  
*properaverit, non quibusdam ex cogitatis artibus suum pro-*  
*positum defraudare, tantamque inde devotionem quibusdam*  
*quasi legitimis velamentis prætegere Sc. I. 35. §. 5. Cod. de*  
*donat. Quid monitum Imperatoris ita generale est, ut et-*  
*iam obtineat in promissis faciendi.*

## §. XXIII.

*Ac in obli-*  
*gationibus*  
*faciendi.*

Sed & ubi non de dando sed faciendo sermo est, leges Romanæ jubent, debitores cogendos esse ad facta præ-  
 standa. Huc pertinet textus Papiniani *I. 28. de donationi-*  
*bus. Hereditatem pater sibi reliquit, filie sui iuris effe-*  
*ctæ donavit, creditoribus hereditariis filia satis facere debet,*  
*vel si hoc minime faciat, Et creditores contrapatrem veni-*  
*ant, cogendam eam per actionem prescriptis verbis, pa-*  
*rem*

trem adversus eos defendere. Vides hic, filiam cogen-dam ad factum, etiamsi id non diserte promiserit (ex natu-ra negotii, aut ex quasi contractu, aut ex lege) multo ma-gis ergo ex hac Papiniani hypothesi cogenda esset, si de-fensionem disertis verbis promisisset. Atqui hoc argu-mentum a minori ad majus agnoscit ipse Hoppius, & ta-men hic iterum ad id tollendum reperit distinctionem in-ter coactionem praecisam seu absolutam & quae talis sit secundum naturam obligationis, & putat, hunc etiam tex-tum de posteriori necessitate esse intelligendum, ubi ite-rum commitit petitionem principii. Idem dicendum ad responsonem Wissenbachii, qui dicit, Papinianum non in-telligere coactionem praecisam, sed juxta naturam actio-nis praescriptis verbis alternatam, ut aut fiat, quod con-ventum est, aut id quod interest, praefectur. Nam haec coactio alternata est ens mere cerebrinum.

## §. XXIV.

Idem etiam obtinet in successione hereditaria ob Ut *&* in a-xquitarem videlicet communem, obligationi cuicunque ditione be-reditatis. Hinc non so-lum in Institutionibus §. 7. de fideic. hered. dicitur, nece-sitatem imponendam esse heredi fiduciario, ut heredita-tem adeat & restituat, sed & id latius deducunt in Pandectis Ulpianus & Hermogenianus l. 13. §. 4. 5. l. 14. §. 1. ad Sct. Trebell. in tantum ut etiam filius familias, si magistra-tum gerat, possit patrem in cuius potestate est, cogere ad re-stitutionem, & ut heres repudians etiam eogi debeat. Quid hic Wissenbachius? Loco responsonis contradicit J. C. tis Ro-manis, & ad suam necessitatem non praecisam & cerebri-nam iterum provocat. Praecisa ait, necessitas non incumbit heredi, sed eo tergiversante hereditas habebitur pro adita, us-potestate juris transeant actiones, nec locus sit venientibus

*ab intestato.* Imo miscet jus novum Justinianem cum jure Pandectarum, cum Justinianus antiquam coactionem sustulerit, & permisit, ut si heres adire nolit, nec substituti adint aut coheredes ipsi fideicommissarii universales adire possint. *Nov. I. C. I. §. I.*

§. XXV.

*Quid si ex-  
tructio ope-  
rus ad l. II. §. ult. de Leg. 3. Si quis opus facere jussus para-  
ris debear-  
tis? Expos-  
tus sit pecuniam dare Reipublice, ut ipsa faciat, cum testa-  
torio l. II. §. tor per ipsum id fieri voluerit, non audietur, & ita D. Mar-  
uli de Leg. 3. cus rescripti.* Sed mallem ab hoc textu abstinere, cum ratio ejus sit paululum obscurius ab Ulpiano indicata. Nam verba prout jacent videntur quidem indicare, quasi ratio rescripti D. Marci in eo fuerit posita, *quod scilicet testator jussirerit, ut ipse opus faceret,* unde videtur sequi, ut, si hic jussus non adsuisset, etiam Respublica debuisset pecuniam accipere. Hinc etiam Wissenbachius & Hoppius respondent, hoc inventum esse speciale in favorem videlicet ultimæ voluntatis. Sed valde mihi suspecta redditur hæc explicatio, & potius videtur Ulpianus festinans circumstantiam primariam hujus decisi omisisse; Quemadmodum enī in verbis *Reip. dare ut ipsa faciat,* haud dubie non voluit, ut tota respublica debeat opus facere, sed subintellexit verba *per alios*, ita firmiter mihi persuideo, Ulpianum in verbis sequentibus *cum testator per ipsum id fieri voluerit*, subintellexisse, *per ipsam artificem, vel tanquam artificem.* Nimirum sensus communis docet, quod opera hominum vulgares, si debeantur, possint expediti per alios & quod hic valeat regula, quod quis per alios facit, id ipse fecisse intelligitur. Sed tale exemplum operarum vulgarium inepie adducetur ad probandam communem sententiam, quod in

pro-

promissis faciendi debitor liberetur præstando i nteresse, eum interesse præsupponat aliud & diversum quid ab eo, quod sicut promissum. At vero hic non aliud sed morali aut potius politica astimatione idem censetur esse factum, quod per alios sit, adeoque ejus , cui sicut promissum, nihil etiam interest, quis opus faciat, modo opus fiat. Unde mihi imaginari nequeo, quod vel testator ita rigidus esse voluerit, ut in opere vulgari adigere voluerit legatarium ad operas proprias, vel etiam, quod Divus Marcus ineptum, hoc desiderium testatoris approbaverit re scripto suo. Ergo potius credo, testatorem voluisse opus quoddam artificiale & minime vulgare in sui memoriam ab herede vel legatario insigni artifice in usum Reipublicæ extrui, ipsum vere heredem post divitias a testatore acquisitas ex ignavia aut stulta ambitione noluisse amplius artem suam exercere. Quemadmodum itaque in promissis artifex factum promittens ex nostra sententia ad id cogi poterit a judice, nisi actor sponte actionem ad interesse elegerit, ita & D. Marcus ex eodem æquitatis naturalis principio istum heredem adigere voluit, ut satisfaciat voluntati testatoris.

## §. XXVI.

Pergo jam ad ea, qua supra §. VII. & IIX. differui de potestate judicis cogendi promissiores factorum ad facta præstanda. De qua cum eadem nobiscum docuerit Huberus, magno conatu Beyerus intendit, ut illam assertiō nem destrueret. Age videamus, &, ut tempori & chartæ parcamus, statim exceptiones nostras addamus. Sed ne dicam, inquit, hæc remedia (manus militaris, mulcie, carceris) juri Romano nimis rigida fuisse, (Concedo apud Romanos in statu libertatis post ejeclos Reges , nego sub Imperatoribus,) Et per l. 13. de re judic. tacite excludi, (Ne-

*Respondeatur objecti-  
nibus con-  
tra potestā-  
tem judicis  
cogendi per-  
tinaces ad-  
ductis.*

go & hoc per mox dicenda , cum ipsa hæc lex in scenam producetur) res ipsa etiam tantam violentiam ferre non videtur : saepe id, quod promittitur, tanti non est ; (Ergo promittens eo facilius factum præstare poterit ; quod si autem nolit facere, tanto major est ejus pertinacia, quæ graviorem adeo poenam meretur,) sapissime quantumque sit promissum, quoad actorem non refert, modo quod interest præstetur. (Sed hoc, utrum referat, nec ne, actoris arbitrio relinquendum est, ut de eo judicet, non rei, qui promisit.) Et quid si multa, carcer, & similia frangenda duræ cervici non sufficiant? nonne vilescit judicis autoritas, si ejusmodi exemplo palam faciat, sere refractario in ordinem redigendo non sufficere? nonne actor multo diutius vel in perpetuum re sua defraudabitur, si præstatio ejus, quod interest, non decernatur? pone enim, carceris incolam perpetuum futurum ejusmodi contumacem, pone, eum ultimo supplicio affici. Qui mori scit, cogi nescit. Et hec itaque in Ludibrium actoris & judicis desinenter; neque utimur ultimis suppliciis in causis civilibus. (Imo: quid si cœlum ruat? Testatur quotidiana experientia, mulctam & carcerem esse sufficientissima remedia, ad frangendam pertinaciam quantamcumque; Imo pone etiam, inter centum ejusmodi pertinaces unum non posse carcere & mulcta in ordinem redigi, responsionem inveniet hæc obiectio in l. 3. 4. 5. 6. ff. de Legibus.) Lubens itaque concedo Hubero, neque illicitum esse fidem frangere in promissione facti ac in promissione rei, quoero saltē de sufficienti coactione. (Sed ad hanc questionem jam fuit responsum.) Neque regulam, quod hic liberetur præstanto interesse, in favorem promittentis (Sed ita recedit Beyerus a communī sententia dissentientium, quod acceptamus.) sed in favorem actoris (Ergo actor non cogetur invitus, ut interes-

se lo-

se loco facti accipiat) *E* judicis introductam puto. (Sed hic favor judicis per haec tenus dicta est imaginarius & cerebrinus.)

### §. XXVII.

Videamus nunc quibus legibus ortum debeat com- Responde-  
munis sententia, & quid ad eas sit respondendum. Pri- tur ad leges  
mo solet ab omnibus provocari ad *I. 13. in fine de re judic.* dissentien-  
tibus, Celsus casum illum proposuit, (qui tamen obscurissi- tium, & I.  
me & vitiosissime exhibetur in corpore juris, quo utimur:) quidem ad  
*Si quis promiserit prohibere, ut aliquod damnum stipula-*  
*tor patiatur, & tamen non fecerit, quod pro-*  
*misisit, (sed damnum dederit, aut dari passus fuerit)*  
*in pecuniam numeratam condemnatur, sicut evenit in omni-*  
*bus faciendi obligationibus.* Quid elarius diei poterat, ur-  
genz dissentientes, quam quod in omnibus faciendi obli-  
gationibus reus etiam invito actore sit condemnandus,  
non ut factum præstet, sed ut pecuniam det, quanti acto-  
ris interest? Sed respondeo: secundum regulas bona in-  
terpretationis verba sequentia non separanda esse ab an-  
tecedentibus, sed potius verba intelligenda esse secundum  
substratam materiam vel objectum prædens, adeoque  
non simpliciter de omnibus, sed de omnibus *similibus fa-*  
*cendi obligationibus* Celsum voluisse loqui. At prædens  
casus, et si quoad verba videatur conceptus esse de facto  
positivo, revera tamen promittens promiserat, aliquid  
non fieri debere, id est, quod nec ipse per alios velit da-  
mnum dare, & tamen contra promissum fecerat, sive per  
se sive per alios damnum dando. Scil. iam supra §. XII.  
notavimus, casus ejusmodi non pertinere ad questionem  
presentem. Quod si hac responsio non placeat, non de-  
sunt adhuc aliae: Dicit JCtus *in pecuniam numeratam con-*  
*demnatur, id est, condemnari sicut, (si actor id petat,) non*  
*condemnari debet, (invito actore.)* Et ita iterum nobis non  
obstat

obstat hæc JCti assertio, etiam si postea addantur verba sicut evenit in omnibus faciendi obligationibus, si scilicet actor præ actione in factum elegerit actionem ad interesse. Denique et si omnium faciendi obligationum mentionem faciat Celsus, & omne, in jure etiam, nihil excludere aut excipere regulariter soleat arg. l. 13. c. mandati, non tamen etiam juri Romano incognitum est, ut omne quandoque restringi debeat ad capacitatem & idoneitatem termini, cui adjicitur, et si ista capacitas alibi soleat exponi. Ita dum Pomponius in l. 14. de recept. arbitr. docet, arbitrum, si omiserit diem partibus statuere, ut causa disceptetur, omni tempore cogendum esse sententiam dicere, id legaliter intelligendum est, non de tempore nocturno, nec de die feriato. Quid ergo prohibeat, quo minus etiam omnes faciendi obligationes in textu Celsi restringantur ad eas, ubi alias nullus alias exitus sperari potest, & ubi actor damnum pateretur, si reus non condemnatur in pecuniam, imprimis cum talis casus praecesserit.

### §. XXIX.

*2. Ad legem Pauli de stipulatione certa & incerta.* Reliqui, qui adducuntur textus, pro probanda sententia communi adhuc minus inferunt, ut satis mirari non possis, qui factum fuerit, ut viri celeberrimi eos in scenam producere fuerint ausi. Videamus nunc præ reliquis illos, qui ex tit. de verbis oblig. adduci solent. Ad Paulum provocat Struvius in l. 68. de V. O. Si pecuniam inquit, stipulatus fuero, si mihi pecuniam non credidisses, certa est. Utilis stipulatio: *Quod si ita stipulatus fueris: pecuniam te mihi crediturum spondes, incerta est stipulatio, quia id venit in stipulationem, quod mea interest.* Respondeo: Baculus stat in angulo, ergo cras pluet. Nihil aliud hic intendit Paulus, quam ut ostendat differentiam inter

inter stipulationem certam & incertam, nulla sit mentio de eo, cuius gratia actio ad interesse fuerit inventa, itaque textus hic & que favet nostra sententia ac sententia dissentientium, id est, nulli repugnat, sed & nullam probat. Ut taceam, promissum de credenda pecunia magis pertinere ad promissa dandi, quam faciendi.

## S. XXIX.

Provocant porro Wissenbachius & Hoppius ad UI. 3. ad legem Ulpiani, de pianum ejusque prolixiorum locum in l. 72. pr. de V. O. cui stipulatio adeo ut prolixiori responsione non sit opus, statim infere nubus divisi mus brevem explicationem. *Stipulationes non dividuntur & in-*  
*tur* (vides igitur, Ulpianum hic esse sollicitum de stipulati-  
*onibus dividuis & individuis, minime de quæstione no-*  
*nstra) earum rerum, que divisionem non recipiunt, veluti*  
*vix, iinieris, actus, aquæ ductus, ceterarumque servi-*  
*tutum (quæ in PATIENDO seu NON FACIENDO con-*  
*sistunt.) Idem puto & si quis FACIENDUM aliquid stipu-*  
*letur (voce hac latius hic supposita, quatenus solum non*  
*factis opponitur, & stipulationes dandi sub e comprehen-*  
*dit) utpote fundum TRADI (habes hic exemplum promis-*  
*sionis dandi) vel fossam fodiri, vel insula m̄ fabricari, vel*  
*quid his simile. (Id est hæ stipulationes omnes sunt indi-*  
*viduæ.) Celsus tamen lib. 38. Digestorum refert, Tuberonem*  
*existimasse (id verum esse, si consideres actionem ad fa-*  
*cuum adimplendum) ubi quid fieri stipulemur, (quod si*  
*autem consideremus actionem ad interesse) si non fuerit*  
*factum, pecuniam dari oportere, (inventam in favorem stipu-*  
*latoris non promissoris, sive traditio sive fossio, sive*  
*fabricatio, sive opera promissa fuerint; tum intuitu pe-*  
*cunia stipulationem non amplius esse individuam) idco-*  
*que etiam in hoc genere dividi (posse) stipulationem: se-*  
*cundum quem (Tuberonem) Celsus ait, (in actione hac ad*

interesse actori) justa estimatione facti dandam esse petitio-  
nem (cum determinatione certa summa pecunia.) His  
præsuppositis nihil huic legi addo, sed potius expecto  
argumentum sanum & verosimile, ex hoc textu pro dissen-  
tientibus: quamvis justa metuam, me frustra expectatu-  
rum.

### §. XXX.

*¶. de stipu-  
latione cer-  
ti ex pro-  
missa datio-  
ne.*

Placuit porro Wissenbachio alium textum Ulpiani  
ex eodem titulo allegare, videlicet l. 75. §. fin. eod. Hæc  
stipulatio, fundum Tusculanum dari, ostendit, se certi esse,  
continetque, ut dominium omnimodo efficiatur stipulatoris,  
quoquo modo. Recte, modo tradi possit. Idem etiam de  
facto dicendum. Interim si res dari nequeat, aut si et-  
iam tardius detur, habebit stipulator actionem ad interes-  
se & que ut in promissis faciendi, quamvis in factis plures  
dentur occasionses supra explicatae, ubi actoris magis in-  
terest, reum convenire ad solvendum interesse quam ad  
faciendum. Ergo & hic nulla apparet conclusio, quod  
in promissis, faciendi promittens invito actore possit pe-  
cuniā loco interesse obtrudere.

### §. XXXI.

*§. de actio-  
ne ad inter-  
esse omissa  
stipulatio-  
ne paenali.*

Sed forte in l. 81. eod. latebit arcanum sententia dis-  
sentientium, quam Struvius & Hoppius citant, ubi idem  
Ulpianus: *Quoties quis aliquem, puta vel servum vel libe-  
rum hominem, (liceat enim verba in corpore jurishaud  
dubie viciose impressa aut transposita, debito loco refer-  
re) sibi promittat, nec adjiciat paenam (aut stipulationem  
paenalem) queritur, an committatur stipulatio (promisso  
non servato, ita ut stipulator possit promittentem conveni-  
re ad interesse, supposito scilicet casu: quod actori nihil  
profuturum sit, etiamsi reus hominem nunc sistere velit.)*  
*Et Celsus ait, et si non est huic stipulationi additum, nisi ste-  
riterit*

terit pœnam dari (adeoque videri poterat, actorem non posse intetesse petere, cum stipulatio sit stricti juris, & sic ex stipulatione non videatur agi posse, cum interesse non fuerit in stipulationem deductum; tamen nullum esse dubium, tacite saltem illam stipulationem actionem) *in id quanti interest liti continere.* Et verum est, quod Celsus ait. Nam qui alium sibi promittit, hoc (simul ex natura negotii) promittit, id se acurum, ut stet, (adeoque si hoc non fecerit, se soluturum esse actori interesse, neque adeo promissiones stricti juris ita sunt explicanda, ac si omnem fidem excludant, aut quid admittant omni bona fidei adversum.) Jam iterum expecto argumentum ex hoc textu, cuius conclusio sit; Ergo promittens liberatur in promissis facti, si actori etiam invito solvat interesse.

## §. XXXII.

Sequitur l. II. §. 1. eod. tit. quam pro co[m]muni sen-<sup>6. Ad legem</sup> tentia producunt Struvius & Hoppius. Explicat autem Pomponius in ealege Pomponius JCTus, quid involvat promissio satis-<sup>de promissione</sup> fationis. Si quis ait, ita stipulatus fuerit; Pro centum ne-<sup>satisfactio-</sup>  
nibus satisdabis & reum dederit in istam summam: Procul-  
lus ait, semper in satisfactionis stipulatione venire, quod in-  
tereſſet stipulantis, ut alias tota fons inesse, veluti, si idoneus  
promissor non sit: alias minus, si in aliquid idoneus ef-  
ſet debitor, alias nihil, si tam locuples effet, ut nostra nom  
intersit, satis ab eo accipere, nist, quod plerumque idonei non tam patrimonio, quam fide quoque aſti-  
mentur. Sed nec ullum vestigium appetet, ut ex hac le-  
ge inferre possis: Ergo in promissis faciendi promittens  
liberatur praestando pro iubitu interesse.

D 2

§. XXXIII.

## §. XXXIII.

*7. Iterum ad legem Ulp. cat in l. 114. de V. O. Si fundum certa die praestari stipuler, & pianis de per promissorem steterit, quo minus ea die praestetur: confundu certu secuturum me, quanti ea die interst, moram factam non esse. die praestan do.*

Denique Wissenbachius iterum ad Ulpianum provocandi  
Respondeo: Ulpianum hic loqui de promisso dandi, non  
faciendi, de quo tamen controversia. Deinde loquitur  
de praestatione certa die facienda. At jam supra §. XI. o-  
stendimus, hoc casu tam in stipulationibus dandi, quam  
faciendi actionem ad interesse inventam in favorem fi-  
pulatoris non promissoris.

## §. XXXIV.

*8. Denique ad textus de emtione.* Eadem est responsio ad textus a Wissenbachio ex do-  
ctrina de emtione adductos, cum & in his promissa fuerit  
dato, non factum, de quo sermo est. Unde saltem tex-  
tus illos sine ulteriori nota recensebimus. Primus est  
Celsi in l. 12. de act. emti. Si jactum retis emero, & jactare  
retinem pescator noluit, incertum ejus rei estimandum est. Si,  
quod extraxit pescum, reddere mihi noluit, id estimari de-  
bet, quod extraxit. Alter textus Diocletiani est in l. 4. C.  
eod. tit. Si traditio rei venditae juxta emtionei contra-  
etum procacia vendoris non fiat, quanti interesse comple-  
mentum fuerit arbitratus Praeses provincie, tantum in con-  
demnationis taxationem deducere curabit.

*Responde-  
tur ad rati-  
ones differ-  
entium,  
quasi scili-  
et factum  
promittens  
cogi non pos-  
sit.*

## §. XXXV.

Quamvis autem sensus communis doceat, non entis  
nulla esse alias praedicata, adeoque etiam sententia com-  
munis, quod iure Romano promissor facti liberetur praestan-  
do interesse, nunquam haec tenus probata nec probanda, nul-  
la possit dari ratio, audiamus tamen ex superfluo, quam ra-  
tionem afferre soleant Jcti, eam doctrinam inculcantes.

Ita

Ita vero ratiocinatur Hoppius. *Quia factum ab invito extorqueri non potest, ne jus libertatis quodammodo infringatur, & servitutis species inducatur l. 71. §. 2. de cond. & demonstr.* Taceo incommoda, quæ ex tali coactione sequi possent: Qui enim ad edificandum v. g. obligatus, nonne si severe nimis cogeretur, ultioni indulgens, opus ruinosum esset fatidurus. Vide Marizium ad hunc §. fin. n. 9. ut adeo per ipsam rerum naturam impossibile videatur, ad facti implementum cogere invitum. Quod tamen statim declarat, intelligendum esse non de facto qualificato sed de nudo, v. g. Romanum ire, tabulam pingere, insulam edificare, artibus liberalibus aliquem instruere &c. de qua distinctione mentem nostram jam aperiuimus suprà §. xx. Vides adeo duplicem potissimum rationem asserre Hoppium, unde ortum duxerit brocardicum vulgare, quod debitor facti liberetur praestando interesse, unam impossibilitatem coactionis & quod de facto cogi non possit, alteram coactionis iniquitatem, & quod ad factum cogi non debeat. Hic ingenere noto, quod hoc modo confundantur duæ distinctæ questiones. Si enim idè debitor non cogendus est ad factum, quod non possit à judice cogi, tum haud dubiè inventa est actio ad interesse in favorem actoris, non rei: quod nos defendimus. Quodsi autem reus cogi non debeat, tum actio ad interesse inventa est in favorem rei: quod negamus. Unde etiam Beyerus, cum concederit actionem ad interesse inventam esse in favorem actoris & judicis, non sine ratione adjecit, *necessæ non videri, ut adl. 72. §. 2. de cond. & demonstr. prævoeetur.* Quod verò in specie attinet impossibilitatem coactionis ab Hoppio objectam, ad quam jam suprà respondimus abunde, partim §. LX. ostendendo possibilitem; partim §. XXIV. respondendo dubiis Beyeris. Doleo autem, quod acutus alias Hoppius se passus fuerit seduci per au-

toritatem Manzii, cum tamen Manzius vix micam judicij habuerit, et si ubique in commentario ad Institutiones assertorum suorum rationes, & rationum rationes crepet. Itaque & exemplum ex Manzio adductum nihil adversus nos probat. Is enim qui ædificaturum se promisit, vel dirigit hoc factum & pro suo lubitu ædificat absque directio- ne stipulatoris, vel præstat saltem operas corporis, dirigen- te ædificationem ipso domino ædificii. Posteriori casu non ita facile erit timenda ultio per ædificationem ruinosi operis. Priori casu timenda quidem esset, sed propterea tamen ipse non liberabitur, ex suo arbitrio interesse præstans, sed actor æstimabit, annon utilius ipsi sit, ut tum interesse petat. Ut taceam, si promissor sit homo nequam aut ignavus, eundem timorem subesse, etiamsi sponte & sine illa actione institutâ se offerat ad præstandum, quod promiserat. Et tamen nemo dicit, quod hoc casu actor possit petere à reo, ut interesse præstet.

## §. XXXVI.

*Nec debeat,* Deinde quod illam assertionem attinet, quod ju-  
*propter l. 71. dex reum, qui factum promisit, non debeat cogere, uti jam*  
*§. 2. de con-* suprà §. VI. contrarium fuit ostensum, ita textus qui pro e-  
*dit. & de-* monstr. ius probatione adductus fuit, nihil minus probat, & præte-  
*rea obscurus, dubius, & fortè æquè ipsius juris Romani*  
*principiis ac juri naturali adversus est. Tutto, inquit Papini-  
*anus d. l. 72. §. 2. de cond. & demonstr. centum reliqua sunt,**  
*ita, ut à monumento non recedat, vel uti in illa civitate do-  
*micilium habeat: potest dici, non esse locum cautionis, per  
*quam jus libertatis infringitur. Sed in defuncti libertatis a-  
*nno jure utimur. Etsi enim doctissimus Cujacius in Papi-  
*niano suo ad hunc textum (Tom. 2. oper. posthum. fol. 454)**  
*nihil habeat, quod de eo moneat, sed potius intendat illu-  
*strare doctrinam Papiniani ex Venulejo, qui l. 2. de lib. hom.*****

exhibit

exhib, pariter docuerit, quod non multum à specie servientium differant, quibus facultas non detur recedendi; tamen aut dicerem, (salvâ autoritate Papiniani, quem alias valde veneror,) si vere sensit, in ipsis duobus casibus ab ipso memoratis cautionem Mutianam remitti, nec teneri legatarium illos modos adimplere, Papinianum hic dormitasse, aut, quod mihi verosimilius videtur, propositionem illam per modum objectionis & rationem dubitandi ab eo fuisse propositam, ita tamen ut magis ipse in sententiam adversam inclinaret. Prius quod attinet, per plerosque modos legatis adjectos infringitur jus libertatis, & tamen de reliquis nemo dubitat, quin cautio Mutiana praestanda sit. Deinde si recessio à monumento, (ut verosimile ex comparatione cum mutatione domicilii) denotat non momentaneam, sed plenariam recessionem, falsum est, quod servis sint æquiparandi, qui sic à monumento recedere non possunt. Porro si legatarius nolebat abstinere à mutatione domicilii aut à recessione à monumento, cur non repudiabat legatum? Nemo enim ad id cogebat &c. Posteriori vero quod concernit, crederem verba Papiniani: *poteſt dici, & ſubſequente particulaſed, immuere poti9, quod Papinian9 magis inclinaverit ad ſententiam adverſam.* Verum hic nondum aliquid definio, sed poti9 alii occaſionis reſervo pleniorum & diſtinctiōrem hujus legis Papiniane & explicationem. Posito, autem, indubiam plane eſſe ſententiam illam, quod cautio illa Mutiana in dictis duobus casibus non fit praestanda, nondum tamen video, qua ratione inde concludi poſſit, quod factum quodcunque promittens liberetur praestando intereffe. Nam initio quidem nullum eſt dubium, quin facta plurima, ut ire, edificare, pingere, &c, toto coelo ſint diverſa à factis illis duo bus à Papiniano adductis, & quod ſenſu communī repugnaret, ſi quis affereret, pa-

rum

rum à servis differre, qui cogerentur ire, & dificare, pingere. Deinde et si maximè liceret argumentari à factis illis duobus ad reliqua, tamen plus probaret ille textus Papiniani, quam probare deberet. Nam exinde sequeretur, ut & in reliquis factis ne quidem promissor deberet condemnari ad interesse, sed potius simpliciter remittendum esse factum promissori, ut Doctores docent, remitti in duobus dictis casibus legatario, ut non cogatur manere in loco monumenti, aut retinere domicilium, absque restitutione legati. Ergo quorsum te vertas, claudicabit illud argumentum à casibus istis duobus ad facta reliqua.

## §. XXXVII.

*Dissentus  
ICTorum  
Romano-  
rum an' si-  
pulatio pœ-  
nalis indu-  
cat novatio-  
num?*

Restat, ut pauca subjiciamus ad illustranda ea, quæ supra, §. XVI. *in fine* de stipulatione pœnali, adjecta notavimus, an per eam inducatur novatio. Dixi ibidem eos, qui sententiam communem defendant, quod in promissis factorum sine adjecta stipulatione pœnali debeat promissores liberari praestando interesse, debere multo magis asserere, eos liberari pœnali stipulatione adjecta, & tamen esse, qui contrarium asserant. Huc refero Wissenbachium, qui *dida Exerc. 26. ad tit. de V. O. th. II.* negat, novationem induci, eumque in finem rectè allegatur *I. ita stipulatus 115. §. ult. I. 122. §. Flavius ff. de V. O. I. Io. de Pacis.* Nullum tamen est dubium, ICTos Romanos in hâc quæstione dissensisse, ut vel ex *d. I. 115. §. ult.* patet. Et disertè Paulus (cujus loco ex errore substituit Papinianum Wissenbachius *dida. th. II. in fine*) in *I. 44. §. ult. de O. C. A.* statuit, novationem induci per stipulationem pœnalem, ac nimis coacta iterum est Wissenbachii conciliatio, Paulum loqui de novatione non vera sed quasi tali.

## §. XXXIX.

Imo ex adductis à Wissenbachio legibus modo  
cita-

*Duo novi*

citatis novum accedit argumentum si non pro probanda, saltem pro illustrandâ sententiâ nostra. Evident *legem Romani* 125. §. ult. primo loco citatam lubentes omittimus, cum pro nostrâ loquatur de stipulatione dandi. Sed cum alter *textus sententia*. I. 122. §. 2. loquatur de stipulatione facti, age videamus quid in ea memoret Scævola. *Flavius*, inquit, *Hermes hominem Stichum manumissionis causa donavit*, *Et ita de eo stipulatus est*. Si hominem Stichum de quo agitur, quem hac die donationis causa, manumissionque dedi, à te, hæredesque tuo manumissus vindictaque liberatus non erit, quod dolo malo meo non fiat: pœnæ nomine quinquaginta dari stipulatus est *Flavius Hermes, sponsus Claudius*: Quero, an *Flavius Hermes Claudium de libertate Stichi convenire potest?* Respondit, nihil proponi cur non potest. Item quero, an si *Flavii Hermesi hæres à Claudii hæredc pœnam supra scriptam petere voluerit*, *Claudii hæres libertatem Sticho praestare possit*, ut pœnâ liberetur? Respondit posse. Vides hic, factum promisit *Claudius*, nempe manumissionem Stichi, stipulatio pœnalis de praestando interesse adjecta est, & tamen in stipulatoris arbitrio situm est, utrum velit convenire promissorem ad factum praestandum: Imo etiamsi conveniat de praestando interesse, tamen promissorem & ejus hæredes posse liberari praestando factum, non autem, si convenientur ad praestandum factum, posse liberari praestando pœnam seu interesse. Porro quod d. l. IO. §. I. de pactis attinet, hæc notavit ibi Ulpianus: *Si pacto subiecta sit pœna stipulatio, queritur, utrum pacti exceptio locum habeat, an ex stipulatu actio*. Sabinus putat, quod est verius, utraque via uti posse, prout elegerit, qui stipulatus est, si tamen ex causa pacti exceptione utatur, & quum erit, accepto

*eo stipulationem ferre.* Hic initio presuppono, Ulpianum hic non distinguere, utrum pacto promissa sit datio vel factum, presuppono stipulationes penales plerunque promissis factorum adjectas esse. Tantum vero abest, ut Ulpianus hic electionem debitori concedat, utrum loco facti velit praestare interesse, ut potius disertè stipulatori electionem det, ut factum petere possit, et si alias ex pacto nudo nulla concedatur Jure Romano actio, videlicet, ut credo, propter adjectam stipulationem.

§. XXXIX.

*Antonii Fabri error, e  
tiam in pro  
missis, dan  
di de bito  
rem libera  
ri præstan  
do. interest.*

Ostendent vero haec tenus dicta primariam causam, cur Dd. communis sententia in eam incidentint, in eo quarendam esse, quod cum in legibus Romanis legendi debitorum rem liberari præstat, contrahentes si fidem servare & facta promissa præstare nolint, debeant ad interesse condemnari, putaverint, condemnationem hanc inventam esse in favorem debitorum. Sed uti jam supra notavi §. VI. non mirandum esse, quod alii ICti semel admissa hac falsa illatione sibi persuaserint, etiam in obligationibus dandi promissorem non posse cogiad dandum, sed liberari præstanto interesse; Ita ut eius assertionis exemplum dem, quis ICtorum & Juris Romani interpretum acutior fuit Antonio Fabro? At hic Part. 4. de errorib. Pragmat. decad. 5. errore 4. 5. 6. in eodotus est, ut ostendat, falsam & erroneam esse doctrinam eorum, qui doceant quod is, qui ad dandum sit obligatus, & in specie venditor, præcise ad dandum debeat condemnari, aut a creditore urgeri, ac ad textus dissentientium respondeat. Et revera non video, quomodo dissentientes cum refutare possint, cum ejus argumenta proposita sint eadem cum argumentis, ex quibus ipsis inferre volunt, quod factum promittens non condemnari, debeat præcise ad factum v.g. dum did. err. 4.

p. 345-

P. 345. urget, venditorem eo ipso dum ad dandum obligat⁹ est, obligatum simul esse ad tradendum; sed istam obligatiōnem tradendi a que esse meri facti, nec magis fieri posse si ne vi, ut venditor præcise cogatur rem tradere, quam ut pro te Romam eat, vel tabulam pingat, (conf. supra §. XXXIX.) Nec deesse juris textus; cum sāpius dicatur, venditorem, si rem non tradat, teneri ad id quod interest emtoris, sed omnium apertissimum esse, qui electionem det venditori, nimirum *l. contractus 17. C. de fide instrum.* in illis verbis: *NECESSITAS venditori imponatur, VEL contractum venditio- nis perficere.* (i. e. rem venditam tradere) *VEL id quod em- toris interest, persolvere.* Porro nec obstare leges a dissen- tientibus adductas, cum in illis nihil amplius dicatur, quam venditorem obligari ad hoc, utrem tradat. Sed hoc à nemine negari, imo eo ipso supponi, dum statu- atur, venditorem, si rem non tradat, teneri ad id, quod emtoris interest, & de eo saltē disputari, an cogi pos- sit præcise, ut tradat, an saltem sub illa alternatione & di- stinctione. Unde etiam, id quod lcriptum est in §. pre- tium inst. de emt. vendit. (Tunc omnimodo secundum ejus es- timationem & pretium persolvatur, & res tradatur) non de præcisa rei vendita traditione intelligi debere, sed de præ- cisa necessitate venditionis adimplenda & ad effectum per- duendā datis utrinque actionibus emti & venditi. Per- inde autem adimpleri venditionem præstante venditore, quicquid a toris interest ob rem non traditam, ac si res traderetur. Quid enim amplius interesse possit ejus, cui præstetur, quicquid interest, &c. Hic vellem audire, quid responsū sint Fabro JCTi, qui docent, in promissis faciendi liberari debitorem etiam invito creditori solven- tem interesse, cum eadem lyra hic usus fuerit Antonius Fa-

ber, qua ipsi uti solent. Cum contra ex nostra hypothese nihil sit facilius.

## §. XL.

*Moribus Germanie evidens est, facti non libevari praestando interesse,*

Hactenus de sententia juris Romani. Quod tandem Jus patrium & mores Germaniae & praxim forensem attinet, si iterum abstrahamus initio ab omni autoritate Doctorum, & saltem historiam morum antiquorum considemus, & sententias in ejusmodi factorum obligatione siccissime obvenientes adspiciamus, hic iterum nullum erit dubium, quin sententia nostra in foris Germaniae obtineat, communis autem ibi exulet. Jam Taciti tempore tantopere fidem semel datam sanctissime servare adsueterant Germani, ut etiam alea victi voluntariam servitatem subierint, si libertatem & corpus semel ales subjeccerint, (Tacitus *de mor. Germ. c. 24.*) et si alias Germanicis populis semper charissima fuerit libertas. Adeoque ignorabant antiquitus Germani distinctiones omnes Romanorum inter pacta & contractus, item contractuum subdivisiones, imprimis autem divisionem inter solennem stipulationem & pacta simplicia: Ignorarunt etiam multo magis differentiam illam inter promissa dandi & faciendi, quod promissor non teneatur implere factum, sed liberetur praestando interesse, impensis, cum hactenus fuerit ostensum, quod & ipsum jus Romanum hanc differentiam ignoraverit. Sed & experientia testatur quotidie, rusticos condemnari ad praestandas operas debitas domino; daß sie ihre Frohndienste zu leisten schuldig, nec casus occurret, ut rusticus ejusmodi (etiam si non fuerit homo proprius) invito domino se liberae potuerit praestando interesse.

## §. XLI.

## §. XLI.

Sed nec desunt tamen etiam autores testimonium de illo usu Germaniæ præstantes. De moribus Belgicis *Quod etiam probatur* & Antwerpensis statuta eo pertinentia citarunt *per autoritatem* Groenewegen ad l. 13. de re judic. Christinæus, Vol. i. tates JCto-Desc. 323. n. 8. & ex his Wissenbach. d. dissert. 26. ad tit. de rum. V. O. tb. 9. item Beyerus ad Pandætas de O. & A. in not. p. 575. ubi & Greveum citat. ad Instit. loca difficultiora diff. XI. tb. 6. Hanc sententiam etiam ad mores nostra Germaniæ applicat Schilter Exerc. 8. §. 2. & Ex. 12. §. 11. et si ipse alias arbitretur, jure Romano communem sententiam obtinuisse. In specie, quod operas rusticorum attinet, huc faciunt ea, quæ latius differit Carpzovius lib. I. Tit. 6. resp. 52. In arbitrio rusticorum ne quidem in eo casu electio-nem esse, utrum loco operarum pecuniam solvere velint, ubi hactenus loco operarum per aliquod tempus præstata fuerit pecunia, aut ubi promissio alternativa ad iste de operis vel pecuniac præstandis, nisi constet, quod illa præstatio pecunia aut promissio alternativa facta fuerit in favorem rusticorum. Quamvis & hic no-va oriatur questio, pro qua parte in dubio præsumendum sit, utrum promissio disjunctiva facta sit in favorem domini, an rusticorum, item utrum præstatio pecu-nia loco operarum aut, operarum loco pecunia possit mutari à domino pro lubitu invitis rusticis, qua de re vide Carpzov. d. l. Klockium de contrib. cap. 2. n. 64 seq. Mihi placet Klockii sententia: non licere domino ser-vitia in pecuniariam præstationem permutare, nisi ne-cessitate urgente & boni viri aestimatione interveniente, vice versa subditum ad servitia teneri, etiamsi in pecunia pro iis hactenus soluta in posterum etiam solven-da permanere velit, nisi ipse probaverit, dominum ser-vitorum præstationem vendidisse quasi pro præstatio-ne pecuniae, adeoque solam longissimi temporis præ-stationem pecuniæ non sufficere rusticis ad præscriptio-nem non præstandarum operarum.

## §. XLII.

## §. XLII.

*Responsio-* Dissentient tamen Lauterbachius, Schöpferus  
*nes ad rati-* Strykius, Beyerus, quibus paucis satisfaciendum erit.  
*ones diffe-* Et generaliter quidem sufficere posset, si diceremus, fal-  
*tientium, in so* supponi, quod Jure Romano factum promittens non  
*specie Lau* cogi potuerit, vel debuerit ad id præstandum, adeoque  
*derbachii,* fallam illam assertionem non potuisse, ut jus Romanum,  
*recipi in Germaniâ.* Sed nec desunt tamen etiam re-  
*sponsiones magis speciales.* Lauterbachio jam satisfe-  
*cit Schilterus d. Exerc. 8. §. 2. & d. exerc. 12. §. 11. Nam  
 cum Lauterbachius Exerc. 8. concl. 8. docuisset, senten-  
*tiam illam communem regulariter etiam in Germaniâ  
 esse receptam, nisi probetur receptio contrariæ doctri-  
 nae, recte excipit Schilterus; Eadem præcisè servandam  
 esse, mōribus Germanicis obtinuisse, antequam Jus Re-  
 manum in Germaniam fuerit introductum; principia  
 vero Quiritium peculiaria regulariter non quadrare ad  
 mores Germanorum; ergo censemendum esse, quod illa  
 etiam post cognitum Jus Romanum in forâ Germaniae  
 non fuerint introducta & recepta, nisi receptio illa in  
 specie probetur.**

## §. XLII.

*Schöpfferi;* Ergo, etiamsi verum dixisset Schöpfferus in *Synopsi juris*  
*privati ad tit. pand. de partis num. 29.* sententiam Schilteri in  
 Marchiâ & Saxonîâ applausum mereri nullum, id tamen  
 nec nobis nec Schiltero obstaret, si scilicet in Marchiâ  
 & Saxonîâ specialiter receptum fuerit, ut factum pro-  
 mittens liberetur præstando interesse. Sed minimè di-  
 xit verum, non ex proposito aut mala fide, sed ex er-  
 rore & judicii defectu, dum putavit: *JCtum Marchi-  
 cum & Saxonicum esse ipsam Marchiam & Saxoniam.*  
 Citat enim pro probandâ hac assertione Strykium *eius-  
 que Us. modern.* ad tit. ff. de partis s. 10. Sed Strykius ne  
 verbum quidem de Marchiâ & Saxonîâ memorat, et si  
 fuerit *JCtus Marchicus & Saxonicus*, sed saltem dubium  
 aliud

aliud movet contra argumentum Schilteri, adeoque à Schiltero dissentit non ratione Marchicæ & Saxonie in specie, sed ratione Germaniæ in genere. Imo etiam si ponamus, omnes Professores Marchicos & Saxonicos assérere, sententiam communem erroneam à nobis refutatam receptam esse in Germaniâ, tamen jam alibi (scilicet in disput. de recte form. stat. controv. in quest. de usu jur. Rom. in for. Germ.) palpabiliter ostendit. Dn. Præses, scripta Professorum (& Practicorum etiam) non facere aut probare usum foresem.

## §. XL V.

Strykii,

Audiamus igitur ipsum Strykium & rationem ejus examinemos. Concedit ille d. §. 10. ad tit. de pacis pœta quidem omnia (etiam quatenus contractibus Romanorum opponuntur) efficacia esse ad actionem producendam, sed negat ex hac efficaciâ pactorum apud Germanos recte inferri, ut etiam apud Germanos factum promittens ad id præstandum cogi debeat. Rationem negotiorum dat illam, quod etiâ stipulatio apud Romanos fuerit contractus validissimus, tamen non potuisse jure Romano (secundum commune sententiam) cogi promittentem ad factum, sed liberatum fuisse præstando interesse. Inde autem sequi arbitratur, ut nec major efficacia hoc passu pœta Germanorum tribui possit, quam stipulationi Romanorum. Quin & in seq. §. 15. eandem doctrinam repetit & applicat ad questionem, an apud Germanos valeat pactum de hereditate tertii, quam pariter negat, mentem suam ulterius declarans, quod semper hic adhibendum sit argumentum à stipulatione ad pactum negative: De quo negotio prohibita est stipulatio (Romanorum) de eo etiam pactum (Germanorum). Addit: quippe pactum (Germanorum) hodiè subintrat locum stipulationis (Romanae) unde prohibito legis, quæ stipulationi obstat, etiam obstat validitatí pacti. Sed ad ista quidem facilis est responsio evidens. Negamus enim, salvâ reverentiâ, tam cele-

celebri JCtō, etiam post mortem dēbitā, istud axioma negativum à stipulatione Romanorū ad pacia Germanorū, cūm stipulationem Romanam ignoraverint Germani pluribus seculis ante receptum Jus Romanorum, & ipse vir celeberrimus fateatur alibi, Jus Romanorum postea saltem receptum esse ut subsidiarium, id est non corrigendo mores Germanorum, sed defecitus quosdam supplendo. Ex liberalitate tamen addimus ulterius limitationem illius axiomatis, ut valeat saltem in illis doctrinīs, quas jus Romanum repetit in matrīa stipulationis ex jure nature, sed tales nequam sunt doctrinæ de prohibita stipulatione super hæreditate tertii, aut de liberatione promissoris facti præstanto interesse, (etsi Jus Romanum hoc posterius etiam receperisset in stipulatione, quod semper est repetendum.) Conf. dicta §. XLII.

## §. XLV.

Sensit sortè Beyerus imbecillitatem istius axiomatis, unde etsi d. p. 575. non fateri voluerit praxin sententia nostræ in foris Germaniæ, noluit tamen ut illo axiome Strykiano, sed saltem hoc dubium movit, ut desideraret, quod assertores praxeos Germanicæ non exposuerint, quomodo refractarii (qui factum promiserant) cogerentur ad factum præstandum. Sed & huic dubio jam suprà tatisfecimus. Coguntur divites multā pecuniariā, pauperes carcere, additis tamen limitationibus, quas §. X. & seqq. latius exposuimus.

F I N I S.








**ULB Halle**  
005 304 997

3





B.I.G.



DISSENTATIO INAUGURALIS JURIDICA.

AN

# PROMISSOR FACTI LIBERE- TUR PRÆSTANDO ID, QVOD INTEREST?

QUAM

EX DECRETO ILLISTRIS FACULTATIS JURIDICÆ  
PRÆSIDE

DN. CHRISTIANO THOMASIO, ICto  
S. REG. MAJ. BORUSS. CONSILARIO INTIMO, ACADEMIAE  
FRIDERICIANÆ DIRECTORE, PROFESSORE JURIS PRI-  
MARIO ET FACULTATIS JURIDICÆ PRÆSIDE  
ORDINARIO ET h. t. DECANO,  
PATRONO MAXIME COLENDO

## PRO LICENTIA

SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES ET PRIVILEGIA  
DOCTORALIA RITE CAPESSENDI

DIE 19. APRILIS A.O.R. MDCCXXI. HORIS ANTE ET POMERIDIANIS.  
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

M. CHRISTIANUS SCHUBERT,  
VRAT. SIL.

---

HALÆ MAGDEBURGICÆ.  
LITERIS JOH. CHRIST. HILLIGERI, ACAD. TYP.